

ANONYMI
SCRIPTORIS VETERIS
DE
ARCHITECTURA
COMPENDIUM.

I.

De Principiis Artis Architectonica.

DE Artis Architectonicae peritia multa oratione Vitruvius Pollio, aliique ² Auctores scripsere. Verum, ne longa eorum dissertaque ³ facundia humilioribus ingeniis alienum faceret studium, pauca ex his, mediocri licet sermone, privatis usibus ⁴ ornare fuit consilium. Quae partes itaque caeli & regiones ventorum salubres aedificiis videantur, & qua subtilitate nocivi flatus avertantur, aditusque januarum & lumina fenestris utiliter tribuantur, quibusque mensuris aedificiorum membra disponantur, quibus signis tenuis abundansque aqua inveniatur; alia etiam, quae aedificandi gratia scire oportet, brevi succinctaque narratione cognosces. Primo ergo quae principia ad Architecturam pertinere debeant studiose attendere convenit. Omnia enim pulchro decore ac venusta utilitate fieri poterunt, si ante hujus artis ⁵ peritus ordo discatur. Nam architecturae partes sunt octo, quae sunt ordinatio, dispositio, venustas, mensura, distributio, aedificatio, collocatio, machinatio. Ex his Graeci, quin-

¹ Hujusmodi titulum hic fecimus (facilitatis gratia) Operi huic; quamvis in editionis hujusce fronte eundem illum titulum, qui legitur in Vasconiani Editione, maluerimus adhibere.

² AVCTORES SCRIPSERE] Cod. R. 2. habet; *Auctores scientissime scripserunt.*

³ FACUNDIA] Ita restituimus ex Ed. V. & Cod. R. 2. legebatur in Cod. R. 1. *facundiora.*

⁴ ORNARE] Cod. R. 2. *excerpere.*

⁵ PERITVS ORDO DISCATVR] Ita Cod. R. 1. & Ed. V. Verum in Cod. R. 2. legitur, *peritus ordinem discat.* Et haec quidem dictio videretur aptior: neque enim memini a Latinis *peritas* dici res inanimas. Nihil tamen minus a veteri Codice recedendum, non putavi.